OB IMMATURUM

CHRISTINÆ

OBITUM

ELEGIA

Immatura perit Siculi spes optima Regni,
Gloria Parthenopes, Eridanique decus.

Heu! Christina jacet prærepta virentibus annis,
Cui mallet Conjux non superesse miser.

Clara sed extinctæ vivit post funera virtus,
Nec tumulus tantum nomen, ut ossa teget.

Sardica dum læto Christina fit omine Mater,
Occupat heu! subitus gaudia tanta dolor.

Ut sterilis mœret viduatus vite maritus,
Utque riget turbans otia veris hyems;

Sic Siculus languet dulci sine Conjuge Princeps,
Sicque subit lætas anxia cura vices.

Christinæ demtos Deus illi suppleat annos,
Qui superest Siculi cura, decusque soli.

Dulce Patri pignus, crescat Borbonius Infans,
Ut sua sic saltem possit adesse Parens.

Matrem quærenti, tua vivit, dicite, Mater;
Vivit in æthereis nempe beata choris;

In Patris illa tui, populique in pectore vivit;
Virtutesque, quibus præstitit illa, manent;

Dicite, qualis erat Christinæ ad funera luctus;
Dicite, quam flebant orphanus, æger, inops;

Quot prælustris erant Christinæ, dicite, dotes;
Dicite, quam populis, quam redamata suis.

Provida mens illi, qua sexum vicit, et annos,
Borbonidumque novo fulsit honore Genus.

Christinæ quam mira Fides, nam pura voventis
Audiit Ara preces, reddidit Aula sonos!

Cœlestes illi mores, cœlestis imago;
Exemplo fulsit vitaque, morsque pari.

Jucundum extinctæ referunt, et amabile nomen
Templa, domus, colles, littora, saxa, viæ.

Funere pro tanto squalet Sebethia tellus,
  Sardica cui lacrymas jungit et ora suas;

Sed miseras frustra perdit gens utraque voces ;
  Nam nequit extinctam vox revocare gemens.

Relligio, potes una ferum mutare dolorem!
  Te duce, luctus abit, mœstitiæque cadunt;

Quod tu sola potes, solamen prome dolori,
  Ne populis desit Duxque, Parensque suis.

Scrutamur temere , quæ sunt decreta superne ;
  Optima semper agit, qui movet alta, Deus.

Par erat , ut sedes peteret Christina beatas;
  Nec querar extinctam, quam nova regna beant.

EPITAPHIUM

Puram vitta Fidem, Spem nunciat anchora firmam;
Christinæ mœrens hic tegit ossa lapis.

Primum facta Parens florentibus occidit annis,
Quam dederat Siculo Sardica terra Throno.

Inclyta, dum vixit, quavis virtute refulsit,
Jamque tulit vitæ præmia digna suæ.

Qui nosti extinctam, casum miseratus acerbum
Siste hic, et lacrymis humeat urna tuis.

ALEXANDER APPOLLONIO